

videat? Denique, nulla sunt clariora signa veræ conversionis et gratiæ jam adeptæ, quam opera charitatis, et præsertim, si quis animam pro Deo ponat: at hoc ipsum potest esse signum fallax, cum Apostolus dicat prima ad Corinth. 13. posse hominem sine vera charitate Dei consumere in cibos pauperum omnes facultates suas, et tradere corpus suum ita ut ardeat. Et reipsa interdum videmus, hæreticos pro defensione perfidiæ suæ mortem libenter oppetere, qui se Deum ardentissime amare non dubitant, cum tamen micam quidem veræ charitatis habeant.

Dicent fortasse adversarii, non requiri talem conversionem, sufficere solam fidem. At hoc jam sæpe refutatum est, præsertim cum ipsi quoque Lutherani veram fidem a charitate et penitentia separari non posse contendunt. Sed fortasse Catharinus respondebit, non exigi necessario perfectam conversionem et penitentiam, nisi extra Sacramentum, cum Sacramento autem sufficere, ut quis obicem non ponat. At neque potest quis certus esse certitudine fidei, se non ponere obicem, cum possit ex ignorantia crassa generare affectum ad peccatum, neque potest certus esse certitudine fidei, se percipere verum Sacramentum, cum Sacramentum sine intentione ministri non conficiatur, et intentionem alterius nemo videre possit. Nec ignoro quid de intentione, in Sacramentis conficiendis, sentiat Catharinus; sed ejus sententia definitioni Ecclesiasticæ contraria esse convincitur, ut alibi demonstravimus.

Secunda ratio erit ad probandum neminem teneri certo credere certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Nam ejusmodi articulus in nullo Symbolo fidei continetur. Et ejusmodi præceptum in nullo canone Ecclesiastico reperitur. Percurrantur Symbola, Apostolicum, Nicænum Constantinopolitanum, Athanasii, nusquam reperietur talis articulus: « Credo me esse justum ». Quod autem in Symbolo Apostolico dicitur: « Credo remissionem peccatorum », significat in Ecclesia dari Baptismum in remissionem peccatorum, ut explicatur in Symbolo Constantinopolitano.

Porro in Conciliis Ecclesiasticis non solum non habetur tale præceptum fidei, sed habetur etiam expresse contrarium in Concilio Tridentino, sess. 6. can. 13, id est, non te-

neri homines ad credendum, sibi remissa esse peccata.

Adde quod si ejusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur, omnem hominem, qui peccat, quocumque genere peccati mortalis, continuo fieri hæreticum, atque ita nullum esse peccatorem, qui non simul esset hæreticus, neque enim potest, qui voluntarie peccat, credere; se justum esse, nisi falsum, dedita opera, credere velit. At certe inauditum est, in Ecclesia nullum esse peccatorem, qui non sit hæreticus. Et præterea cum omnes hæretici ab Ecclesia separentur, et foris sint, sequeretur, nullum peccatorem in Ecclesia esse posse, quæ fuit hæresis Donatistarum, et ab Augustino et cæteris Patribus ex Evangelio manifeste refutata est. Quid enim sunt grana et paleæ in eadem area, boni et mali pisces in eodem reti, oves et hœdi in eodem ovili, nisi justii peccatores in eadem Ecclesia? Viderint igitur Lutherani, qui per omne peccatum fidem justificantem, id est, veram fidem excuti dicunt, quomodo se ab hæresi Donatistarum expediant, et quomodo non aperte cum ipso Evangelio pugnent.

Tertia ratio probabit, non expedire ut homines habeant ordinarie certitudinem de propria gratia. « Nam (ut sanctus Augustinus ait in lib. de corrept. et gratia, cap. 13), in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas ». Unde etiam S. Gregorius scribit lib. ix. Moralium cap. 17. « Si scimus nos gratiam habere, superbimus ». Et ipse Dominus Luc. xviii, per parabolam Pharisæi et Publicani ostendit, eos, qui se justos esse confidunt, facile se cæteris anteponere, eosque despicere: *Non sunt, aiunt, sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus* (1). Contra autem ignorantio hujus secreti humilitatem conservat, et auget, facit enim ut se fideles superiores invicem arbitrentur, et unus alium honore præveniat.

Dices, si ita est, cur Deus aliquibus justificationem propriam revelat? Quoniam sicut speciali hoc favore dignos illos judicat, ita etiam prævidet, sic in humilitate, et charitate radicatos esse, ut non sit illis ab hac elatione periculum, quod tamen infirmioribus, et imbecillioribus facile imminere posse cognoscit.

Quarta ratio docebit, reipsa fidelibus, ejus-

(1) Luc. XVIII, 12.

modi certitudinem non adesse. Nam in primis quibusdam singulari beneficio revelatum esse constat, ipsis remissa fuisse peccata. Id enim testatur de sancto Antonio Magni Athanasius in ejus vita; de sancta Galla S. Gregorius in lib. iv. Dialogorum, cap. 13. de sancto Francisco, sanctus Bonaventura in ejus vita, cap. 3, nec desunt alia ejusdem generis exempla. Quorsum autem Deus id certis hominibus revelaret, quasi speciali prerogativa, si fidelibus omnibus esset notitia ista communis?

Deinde non minus constat, alios quosdam, alioqui perfectissimos, in obitu suo propter hoc incertum non mediocriter trepidasse. Refert S. Hieronymus, B. Hilarionem in morte dixisse: « Egredere anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? » Similia exempla trepidantium sanctissimorum Patrum recenset Joan. Climacus. At certe si viri etiam sanctissimi propter incertitudinem gratiæ, et abyssum judiciorum Dei trepidant, quomodo credibile erit, omnibus fidelibus certitudinem adesse de propria gratia atque justitia?

Denique idem apertissime probat experientia hujus temporis hæreticorum. Nam cum omnes omnino hanc certitudinem jactent; tamen ipsorum sententia falluntur plurimi, nostra autem, omnes. Neque pertinet ad rem, quod dicit Kemnitius, falli Sacramentarios, et Anabaptistas, et alios, præter suæ sectæ homines, quoniam illi errant contra fundamentum fidei. Hoc, inquam, ad rem non facit; nam si per fundamentum fidei intelligatur fides in Mediatorem Christum, non descendendo ad particulares articulos, tenent illi quoque fundamentum. Sin autem per fundamentum intelligantur omnia dogmata fidei, quæ in Scripturis habentur, errant quidem illi contra fundamentum, ut etiam errat ipse Kemnitius; tamen isti errores sunt in fide historica, non in fide justificante, omnes enim eodem prorsus modo credunt, se justos esse propter Christi merita imputata, et easdem promissiones fide amplectuntur. Unde igitur fit, ut illi fallantur, et non isti? « Quoniam (inquit Bucerus) in illis ista certitudo non est ex motu Spiritus sancti ». At hoc ipsum est, quod quaerimus, cur non sit ex motu Spiritus sancti, si fidem justificantem habent.

(1) Luc. XVII, 10.

Dicent, eos non habere fidem justificantem, quia fides justificans, cum errore conjuncta esse non potest. At experientia docet, fidem quam ipsi justificantem esse definiunt, cum errore facile permanere. Nam Anabaptistæ et Sacramentarii, quos Lutherani errare contendunt, firmiter credunt, sibi propter Christum, fide apprehensum, remissa esse peccata.

Deinde quo certo indicio Lutherani docebunt, Anabaptistas et Sacramentarios errare, se autem non errare, cum omnes jactent Scripturas, et non sit apud eos ullum commune iudicium, quo ipsorum controversia dirimi queant.

Denique undecumque accidat, ut fallantur Anabaptistæ et Sacramentarii, iudicio Lutheranorum, et contra Lutherani, iudicio Anabaptistarum et Sacramentariorum, nos evidenter concludimus, atque hoc potissimum urgemus, maximam partem eorum, qui hanc certitudinem jactant, ipsis etiam testibus, sine dubio decipi.

CAPUT IX.

Solvuntur argumenta adversariorum, ex testimoniis Scripturarum deprompta.

Quoniam testimonia Scripturarum quæ Calvinus, Kemnitius et Catharinus adducunt, plurima sunt, ut saltem multitudine testimoniorum speciem aliquam probabilitatis efficiant, nos illa omnia secundum ordinem Scripturarum proponemus et refellemus.

Primum igitur testimonium Catharinus profert ex cap. xvii. Luc. *Cum feceritis hæc omnia, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus* (1). At hoc quomodo potest quis dicere, nisi certo sciat, se fecisse omnia quæ præcepta sunt? qui autem certo scit, se omnia mandata complisse, certo quoque scit, se diligere Deum, et diligi a Deo, et justum esse; *Qui enim diligit me, sermones meos servabit. Et: Qui diligit me diligitur a Patre meo*, Dominus ait. Et: *Qui facit justitiam, justus est*, inquit Joannes.

Respondeo: absit ut Christus eo loco nos hortetur, ut dicamus vel existimemus, nos fecisse omnia, quæ præcepta sunt nobis. Id enim esset ad jactantiam et superbiam exhortari; cum contra potius ad humilitatem

(1) Luc. XVII, 10.

nos eo loco Salvator informet. Sententia igitur Domini est, ut cum bona fide fecerimus, quae praecepta sunt nobis, ita ut cor nostrum nos non reprehendat, non inde superbiamus, sed dicamus, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Secundum testimonium profert ex cap. III. Joan. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta* (1). At quis auderet venire ad lucem, id est, ad Christum justitiae solem, et opera sua dijudicanda proferre, nisi certo sciret, illa esse vere bona? Respondeo, sententia hujus loci est, hanc esse naturam operum malorum, ut quaerant latebras, quoniam reprehensionem timent, contra vero naturam esse operum honorum, ut si opus sit proferri in lucem, non erubescant, nec timeant reprehendi. Ex hac autem generali, verissimaque doctrina non debet colligi, eundem nobis esse ad Christum, ut apud eum praedicemus opera nostra. Neque etiam colligi debet, omnes qui ad Christum libenter accedunt esse perfecte justificatos. Multi enim ad illum accedunt, utificentur, juxta illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (2). Matth. XI. sed colligi debet id quod ipse Christus in eo loco colligit, qui ejus consortium fugiebant, ut Phariseos et scribas, hoc ipso fuisse homines malos, fugiebant enim Christi consortium, quia timebant reprehensionem; qui autem ad eum accedebant, ut publicanos et peccatores, vel etiam veros Israelitas, in quibus dolus non erat, ut Nathanaelem et Nicodemum, hoc ipso fuisse bonos, vel voluisse fieri bonos, et denique bonam fuisse illam voluntatem, qua Christum quaerebant.

Quod si peccatores ad Christum accedere poterant, et hoc ipso veritatem faciebant, et veniebant ad lucem, nec timebant manifestari opera sua, id est, desiderium et voluntatem suam, quam habebant recuperandae salutis: multo magis possunt, qui non sunt sibi consci peccatorum, sincero corde ad Christum accedere, non ut jactent opera sua, sed ut ab eo illuminentur et proficiant, si boni sunt, vel corrigantur, si forte boni sibi videntur et non sunt.

Tertium testimonium profert ex illo Joan. XIII. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invi-*

cem (3). Quanto igitur magis poterit unusquisque cognoscere, se vere discipulum fuisse Christi, si dilectionem proximi habere se videat?

Respondeo: Nihil plane concluditur ex hoc loco; nisi quis velit, non solum non ipsos, sed etiam omnes alios certo cognoscere nostram gratiam. Dominus enim non ait: In hoc cognosceitis, sed, in hoc cognoscent omnes. At profecto absurdissimum est tribuere omnibus hominibus certitudinem fidei de aliena justitia. Sententia igitur Dominus est, Discipulos Christi non posse internosci ab aliis clariori signo, quam dilectionis. Ejusmodi autem externa signa non efficiunt certitudinem fidei divinae, sed humanam, et conjecturalem, cum hoc ipsum non possit sine revelatione cognosci, an quis vere diligat Deum et proximum, ut oportet. Saep enim cupiditas se venditat pro charitate, id est, amor concupiscentiae pro amore amicitiae.

Quartum testimonium non a Catharino tantum, sed etiam a Calvino producit ex illo Joan. XIV. « Vos autem cognosceitis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit ». Item: « In illa die cognosceitis, quia ego sum in Patre, et vos in me, et ego in vobis ».

Respondeo: ex priore loco solum colligitur, eos qui per fidem Spiritum sanctum noscunt, non sine ejus gratia et auxilio noscere. Quomodo etiam dicitur de notitia Christi: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Dixerat enim Dominus: *Mittam vobis Spiritum paraclitum, quem mundus non potest accipere, quia non novit eum, nec scit eum; vos autem cognosceitis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit*. Ex quibus verbis intelligimus, non posse accipi Spiritum sanctum, nisi prius cognoscatur, et tamen non posse cognosci, nisi prius habeatur.

Proinde duobus modis haberi potest Spiritus sanctus. Uno modo, ut per donum justitiae et charitatis inhabitet in nobis, tamquam in templis mundatis et sanctificatis; Altero, ut per donum fidei praeparet sibi templum in nobis, et capaces efficiat perfectae justificationis. De Priore modo dictum est: *Mundus eum non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum*, id est, non potest mundus accipere Spiritum sanctum, ad perfectam justificationem, quia nondum ha-

(1) Joan. III, 21. — (2) Matth. XI, 28. — (3) Joan. XIII, 35,

bet illum ad fidem. Neque est capax donorum ejus, quem non cognoscit, nec videt oculis fidei. De posteriore modo dictum est: *Vos autem cognosceitis eum, quia apud vos manebit*. Vel ut habent codices Graeci et plerique Latini: *Vos autem cognosceitis eum, quia apud vos manet*, id est, vos jam illum habetis ad fidem, et ideo cognosceitis eum, et capaces facti estis donorum ejus, et propterea mittam eum ad vos. Non igitur habetur ex hoc testimonio, nos certos esse de nostra justitia et gratia, sed solum, si cognoscimus Deum per fidem, certos esse id non fieri sine ipsius auxilio.

In altero testimonio, si credimus Augustino et Cyrillo in commentario hujus loci, loquitur Dominus de cognitione beata, quae post hanc vitam erit cum videbimus Deum, sicuti est. Tunc enim aperte cognoscemus, Filium esse in Patre, et nos in Filio, et Filium in nobis. Si quis autem contendat, in hac etiam vita compleri, quod Dominus ait; in promptu erit responsio, cognoscere, nos esse in Filio, et Filium in nobis, non esse cognoscere, nos esse justos, sed Christum esse caput totius Ecclesiae, sic enim est Christus in nobis, id est, in Ecclesia, et Ecclesia in Christo, quia, ipse est caput, et Ecclesia est corpus.

Quintum testimonium sumunt haeretici ex illo ad Roman. III: *Justitia Dei in omnes et super omnes, qui credunt in eum*. Et ad Roman. IV: *Si ex lege haereditas, exinanita est fides, abolita est promissio*. Item ibidem: *Ideo ex fide, ut firma sit promissio*. Et ibidem: *Ideo reputatum est ei ad justitiam* (1). Hinc enim colligunt, omnes qui credunt, etiamsi nihil aliud agant, certissime justificari, et hoc ipso justificari, quod credunt. Proinde non pendere promissionem justificationis ab ulla conditione operis, et ideo nihil esse quod illam incertam possit efficere. Itaque Kemnitius his locis citatis exclamat: « Hæc non verba sunt, sed fulmina contra Tridentinum decretum, quod dicit: Nemini, qui in fiducia et certitudine remissionis peccatorum, juxta promissionem acquiescit, remitti peccata. Paulus vero dixit, ideo reputatum est ei ad justitiam ».

Respondeo: Hæc omnia sunt a nobis explicata in I.; lib. ideo nunc paucis respondemus. Primum manifeste hallucinantur haeretici, cum existimant, Apostolum loqui de

fide, seu fiducia, qua quis credit, sibi remissa esse peccata. Nusquam enim id Apostolus significat, sed loquitur de fide, qua credimus, Christum resurrexisse a mortuis; et qua creditur Abraham, se habiturum filium ex uxore vetula et sterili, juxta promissum divinum.

Deinde manifeste falsum assumunt, immo secum ipsi pugnant, cum dicunt, promissionem non pendere ab ulla conditione operis, et tamen requirere fidem. Nam ipsa fides est quoddam opus, et conditio, et omnino sufficit ad hoc, ut justificatio reddatur incerta. Nam nemo certus esse potest certitudine fidei, se habere fidem illam, quae requiritur ad justificationem, cum hoc in nulla parte verbi Dei contineatur. Itaque certum est, omnes, qui credunt ut oportet, id est, viva fide, justificari; sed nemo certus est ex fide, se fidem vivam habere. Rursus certum est hominem justificari ex fide, non ex lege, aut operibus, id est, non ex sola notitia legis, vel operibus factis solis naturae viribus, sed ex gratia Dei, quae primum inspirat fidem, ut per illam justificatio impetretur, sed (ut diximus) non sumus certi ex fide, nos vel fidem habere, qualis requiritur, vel per fidem impetrasse justificationem. Denique certum est, Abraham reputatum fuisse fidem ad justitiam; sed nemo certus est ex fide, se talem habere fidem, qualem habuit Abraham. Ostendat Kemnitius ex verbo Dei, se, aut alios in particulari habere ejusdem fidem vivam, et per dilectionem operandum, et tum fulmina contra Concilium jactet; alioqui sciat, verba quidem Apostoli fulmina esse, sed per paralogismos non bene torqueri, vel potius in caput recidere imperiti fulminatoris.

Sextum testimonium sumunt ex illo ad Rom. VIII. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei (2). At Spiritus testimonium certitudinem summam efficere debet, cum Spiritus sanctus nec falli possit, nec fallere. Atque hoc testimonium, ut unum ex praecipuis, non solum Calvinus et Kemnitius, sed etiam Catharinus maximi fecit.

Respondeo: Duæ sunt hujus loci expositiones ut etiam duæ sunt lectiones. Una lectio est Latini codicis, quae habet Spiritum sanctum testimonium reddere spiritui nos-

(1) Rom. III, 22; ibid. IV, 15. — (2) Rom. VIII, 13.